Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Sammelhandschrift, Predigerorden betreffend – Nürnberg, STN, Cent. IV, 75
Signatur:	Cent. IV, 75

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Nota

sint prospera erga eos. Cumque pacto iussu de domo dicte sororis reuerterentur ad propriam, transirent per quendam descensum, qui vocabulo vulgi dicitur valle prata, puella parva leuatis oculis vidit ex opposito super capud ecclesie fratrum predicatorum in aere quendam thalamum pulcerrimum ornatum regaliter et decore, in quo saluator mundi dominus ihesus christus in trono imperiali sedebat, indutus pontificalibus uestibus, habensque in capite thyaram, seu mitram monarchiam et papalem, erantque cum eo apostolorum principes petrus et paulus, ac beatissimus evangelista iohannes. Quod cum illa stupens intueretur, stetit pedes in reuerberatis obtutibus saluatorem suum aspiciebat utrisque oculis hominis, amorose. At ille qui ob hoc se tam mirabiliter ostendebat, ut misericorditer traheret amorem eius ad se, maiestatis oculos defigens in eam, amorosissimeque subridens, extenta dextera super eam, munus ei sue benedictionis eterne, facto signo salutifere crucis, supra prelatorum consuetudinem contulit graciose. Cuius doni fuit adeo efficax gratia, quod mox mente rapta et transformata in eum, quem cum tanta delectacione videbat, non in itineris sed totaliter quasi sui oblita, in via publica unde homines et animalia sepissime transeunt, infans naturaliter pauida oculis eleuatis ac capite immobilis permanebat. Permansissetque inde sicut creditur haud dubium nisi per alium coacta fuisset et tracta, donec visio illa durasset. Verum dum hec sic agerentur a domino, stephanus puerulus germanus eius qui eam comitabatur, ipsa remanente processit in suo descensu solus, putans illam venire post se. Sed cum postmodum aduertisset ipsam non sequi, nec ad se appropinquare, vertens se ad ipsam appropinquans continuabat clamores. Sed cum nec sic quicquam proficeret, manualiter rapuit eam dicens: quid facis tu hic, quare non venis. Illa vero quasi de graui sompno evigilans demissis paruumper oculis inquit: O si videres que video, ab hac tam dulci visione me nullatenus impedires. Et hec dicens oculos reduxit in altum. Sed iam visio illa disparendo ex toto cessauerat, sicut voluntas fuerat apparentis. Quod illa ferre non valens absque doloris aculeo, lacrimis cepit indicare se de se ipsa dolens quod oculos demisisset. Ex illa autem hora cepit paruula illa canescere, virtutum et morum maturitate, ac sensu mirabili, ita ut actus sui non pueriles nec etiam iuueniles sed venerande senectutis potius viderentur. Ardens siquidem iam erat in corde ipsius ignis diuini amoris, cuius virtute intellectus illustrabatur et voluntas feruebat. Confortabatur memoria et exteriores actus legis diuine regulam in omnibus pretendebant. Prout enim mihi nimis indigno ipsa humiliter confessa est, in secreto illo tempore vitam et mores sanctorum patrum egiptiorum necnon et gesta quorundam sanctorum et potissime beati dominici, nullo tradente homine nullaque lectione precedente, sola spiritus infusione didicit et cognouit. Tantusque ardor menti eius inheserat imitandi vitam eorum et actus, quod nichil aliud poterat cogitare. Hinc prouenere in sacra puella plurime nouitates, que cunctos cernentes in admiracionem ducebant. Querebat enim latibula et secrete cum quadam cordula suum corpusculum

Nota

Exercitia virginis

+ pedes

+ per aliquod spatium

[insertion:] vidit sororem longe post se fixo gressu respicientem in altum ingeminatisque vocibus clamans vocabat eam. Porro illa non respondente nec attendente